



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Dom Jean Mabillons Briefe an Cardinal Leander Colloredo.

Mitgetheilt von Dr. A. Goldmann.

(Fortsetzung aus Jahrgang X. Heft I. S. 65—81.)

7.

Paris. 1694. 22. XI.

Ex postremis litteris Tuis gravate accepi nuntium de obitu illustrissimi fratris Tui,¹⁾ quem omnium fratrum nostrorum precibus exposita schedula commendare non distuli. Tot quotidie mortes obversantur oculis nostris, ut vita ipsa sit oneri, ubi vix a miseriis et doloribus respirare licet. Undique percutimur, ubique plurima mortis imago tum ex bellorum atrocissimorum procellis, tum ex plagis, quae nobis aliae post alias infliguntur: quamquam tantisper respirare incipimus ab epidemicis illis morbis, qui innumeras strages per superiorem annum nobis attulerunt et anni huius ubertas praecedentis sterilitatem abunde compensavit. Faxit Deus, ut pax brevi subsecutura caeteris malis nostris finem imponat, studiisque nostris otia et opportuna commoda revocet. Ad mea quod attinet, tantisper procedunt Annales nostri, mole sua sane gravissimi, iamque Gregorii Magni pontificatum emeritus sum. Ego vero fateor, me non parum solatii et voluptatis capere in hoc opere, quod si finire mihi a Deo dabitur, libenter hinc avolem:

¹⁾ Pompeo III. Maltheseritter und Mundschenk am Hofe Kaiser Leopolds, † 1694, war ein älterer Bruder des Cardinals. Vgl. Crollalanza l. c. pag. 223 und Tafel VI.

quamquam huius operis successum et eventum lubens et volens Domini providentiae committo, nihil amplius in votis habens quam ut obsequar in omnibus sanctissimae eius voluntati. Sed quid ego his immoror? Ante gratiae Tibi, Eminentissime Domine, agendaerunt pro immensa dignatione, qua vota mea in omnibus praevenis. Quod novissime fecisti in gratiam monachae Fuliensis, pro qua Eminentiae Tuae scribere ausus fueram. Accepit pro Divino oraculo responsionem Tuam, nec amplius tentabit viam evitandae superioritatis, ad quam forte nulla hac aptior, nam re vera sanctissima virgo est. Natalia Tibi faustissima prosperumque novum annum cum multis aliis animitus apprecor, atque id ipsum in primis a Deo postulat noster Ruinartus, qui multas Eminentiae Tuae gratias ob memoriam sui a Te factam reddit. Accepimus studiosi omnes e nostris eximia et honorificentissima xenia a Sanctitate sua, cuius dignationi uti et caeteris eius virtutibus nihil addi potest. Solus pudor me revocat, ne gratias pro his xeniis meo meorumque sodalium nomine suae Sanctitati agam. Sed quid ego scriberem tantillus ad tantum Pontificem! Forte silentium ipsum aptius erit, mihi certe convenientius. Epistolae vicem supplebunt preces, quas assidue pro tanti Pontificis incolumitate ad Deum fundimus nec fundere in posterum desistemus, donec pacem Ecclesiae totique Europae (quod omnes a Sanctissimo et Apostolicorum temporum digno Pontifice sperant) procuraverit. Vale.

8.

Paris. 1695. 29. III.

Exigunt a me Patres Grandimontenses, ut Eminentiae Tuae scribere ausim de Sancto Stephano fundatore ordinis sui,¹⁾ de quo iam ante paucos ab hinc dies memoriale quoddam instruxeram, ut beatissimi illius abbatis nomen Romano Martyrologio inscriberetur, quod censuit Sacra Rituum Congregatio. Nunc vero religiosi Patres itidem a me postulare pergunt quaedam insigniora auctorum testimonia Eminentiae Tuae afferenda, ut lectiones de eodem Sancto approbentur a Sacra Congregatione atque ita, siquidem ei videbitur, approbatae Romano Breviario inserantur. Ego certe felicem me reputavero, si aliquid ad tanti Confessoris augendum cultum conferre possim, sperans non parum utilitatis spiritualis ex eius intercessione in me redundaturum. Hanc porro occasionem renovandi obsequii in Te mei eo lubentius accipio, quod iam dudum Eminentiae Tuae nihil litterarum scripserim, veritus scilicet, ne occupatissimo Domino meo inutilibus scriptionibus molestus

¹⁾ Ueber den hl. Stephan und den Orden von Grammont vgl. Mabillons Einleitung zum 8. Bande der Acta Sanctor. und die Statuten bei Holsten, cod. regular. II, 303—309.

fiam. Has excusabit religio, quas scio satis abunde Tua excusaret humanitas. Vale.

9.

Paris. 1695. 28. IV.

Piaculum quoddam mihi videtur Eminentiae Tuae commendare Illustrissimum Dominum Comitem de Perth Magnum Scotiae Cancellarium, quem propria merita ac virtutes, in primis vero ardentissimum fidei catholicae studium universae Curiae Romanae commendatissimum iam reddidere. Sed quia idem Illustrissimus Dominus me sua benevolentia dignatur, vereor ne deessem officio meo, si tantum virum litteris meis ad aedes Tuas, quando ipse adire non possum, non comitarem, particeps futurus omnium officiorum et honorum, quibus eum haud dubie pro Tua singulari humanitate ac religione cumulabis. Quin etiam rem pergratam ei feceris, si admittas eum identidem in pia de rebus sacris, quibus totus inhiat, colloquia, eundemque commendes aliis probis hominibus istis Urbis, ut eorum consuetudine pietatem et zelum catholicae religionis pascat foveatque. Sic fiet, ut ex ipso religionis ac pietatis fonte in patriam redeat et pientior et religiosior, uti magnopere opto. Plurimam salutem E. T. etc.

10.

Paris. 1695. 31. X.

Postulat a me, ut sine praefatione loquar, D. N. Godbillers Doctor et socius Sorbonicus idemque rector Parochialis Ecclesiae S. Laurentii apud Parisios, ut de se testimonium reddam Eminentiae Tuae, cui me non ignotum nec forte ingratum esse existimat. Id vero de eo testari possum, virum esse optimis praeditum moribus, sanae doctrinae et Sedi Apostolicae cum primis addictum, unum denique ex selectis viris, qui reformando Parisiensi Breviario, Rituali, aliisque ecclesiasticis libris operam suam a multis annis impendit. Eundem apud Illustrissimum Sanctitatis Suae in hac aula Nuntium commendavit R. P. de la Peyre Theatinorum Parisiensium expraepositus, vir fide dignus, qui Romam reversus idem Eminentiae Tuae poterit attestari. Hoc testimonium quorsum a me exigatur non omnino scio. Forte ut patrum meritum redundet in nepotem, quem audio quoddam beneficium in Romana Curia expectare. Ego vero sisto in testimonio meo pro patruo, quem plurimi facio idemque omnes de eo facile sentiant, quicumque norint. Ceterum libenter utor hac occasione ad significanda Eminentiae Tuae nova obsequia mea simul ad demerendam benevolentiae Tuae continuationem, quam quantovis thesauro praetiosorem habeo. Quam primum se offert occasio, submittam Eminentiae Tuae quasdam chartas nuper a nobis probatas et recognitas, quibus

Regiae Stuartorum familiae natales ab iniusta Buchanani labe vindicantur. Redeo ex itinere Remensi brevi resumpturus filum Annalium nostrorum, qui ad annum 690 processerunt.¹⁾ Vale.

11.

Paris. 1695. 28. XI.

Etsi ante paucos dies Eminentiae Tuae scripsimus semel, nolim tamen officio meo deesse in his Natalibus festis, quae Tibi cum anno insequente fausta et prospera ex animo apprecor. Sed vicissim abste peto, ut benevolentiam istam, quam mihi tam gratuito iamdudum impendere coepisti, etiam in posterum conservare et continuare non dedigneris; quod quidem ex Te ita mihi certum et indubitatum fore confido, ut iam de concessa gratia gratias Tibi agam voveamque immortales. Verum illud vicissim Tibi persuadeas velim, ut quoad vixero totum me Tibi devinctum et quam maxime obstrictum et obligatum esse non dubites. In Tuam etiam clientelam admitti, qui iam certe admissus est, optat noster Theodoricus Ruinartus, qui Eminentiae Tuae obsequia sua ex intimo corde offert, non modo in novum annum sed in perpetuum. Nos vero ambo quam maxime optamus, ut diu vivas salvus et incolumis in Ecclesiae universae utilitatem, ne quid de nostra dicam, qui quantum Tibi debeamus, quantum abste nobis sperare liceat, non ignoramus. Studet ille continuandis Sanctorum nostrorum actis, dum ego Annalibus digerendis operam navo, magno quidem gustu meo, nescio quo fructu vel successu.

Iam incipio saeculum tertium,²⁾ ut longum iter ad duodecimum: sed pergam quoad Deus hunc vitae filum abrumpat. Athanasii³⁾ editio iam plusquam media parte processit, quae tribus voluminibus constabit. Hieronymi⁴⁾ secundus tomus inchoatus est. Gregorius Nazianzenus⁵⁾ sensim paratur. Haec inter horrida bella et frementia

¹⁾ Damit stimmt das Brieffragment vom 28. October 1695 bei Broglie II, 309 überein, wo Mabillon über den Stand der Annalen berichtet: J'en suis à présent à l'an 690 et prends beaucoup de plaisir à cet ouvrage, quoiqu'il n'y ait guère d'apparence qu' à l'âge où je suis, je le puisse asseoir.

²⁾ Das dritte Saeculum des Benedictinerordens 680—780.

³⁾ Die Athanasiusausgabe wurde durch das Ableben des Hauptredacteurs derselben, Dom Jacques Lopin († 29. Dec. 1693) bedeutend verzögert und erst im J. 1698 durch Montfaucon vollendet.

⁴⁾ Der zweite Band der Ausgabe des hl. Hieronymus, besorgt von Dom Jean Martianay ist erst im J. 1699 erschienen.

⁵⁾ Auch an dieser Edition war Dom Jacques Lopin beschäftigt. Vgl. Mabillon's Schreiben vom 12. April 1694 bei Valery 2, 363, doch ist der erste Band erst nach achtzig Jahren (S. Gregorii Naz. opp. opera et stud. monachor. S. B. e Congr. S. Mauri Par. 1778) erschienen.

arma, quibus utinam Deus tandem finem imponat huc precibus et poenitentia opus. Vale et valetudinem Tuam, si me amas, cura diligenter. Iterum vale.

Prodeunt novus tomus Bibliothecae Dupineae, tomus 3. eccles. Historiae D. de Tillemont, 4. Abbatis Fleuri.

12.¹⁾

Paris. 1696. 2. I.

Accepi summo cum gaudio restitutionem valetudinis Tuae priusquam eam afflictam acceperem. Gratias Deo, qui talem Ecclesiae suae ministrum, talem nobis patronum reliquit. Si nos amas, redde Te tantisper otio et vacationi a solitis laboribus Tuis, dum vires pristinas resumpseris. Quam vellem Eminentissimo, dicam charissimo Patrono meo aliquamdiu assidere, ut eum nugis meis a seriis nimium occupationibus tantisper averterem! Sed vererer ne non solum nugas sed et nugatorem ipsum repelleret Dominus meus, qui non nisi gravibus et seriis rebus recreatur. Tibi itaque, Eminentissime Domine, Tuoque animo parendum est et de seriis loquendum. In his illud primum in mentem venit, quod recens in Hispanica Inquisitione contra Bollandi continuatores factum est.²⁾ Refellerunt illi pro eo, quo affecti sunt, veritatis amore fabulas antiquitatis ordinis Carmelitarum, qui conviciis, libellis contumeliosis viros de Ecclesia benemeritos oneraverunt. Eisdem Romam ad tribunal Cardinalium provocaverunt,³⁾ sed cum nihil apud aequissimos et oculatissimos iudices proficere in rem suam potuissent, libros eorum ad Hispanicam Inquisitionem detulerunt. Patronos illic invenerunt fabulis et commentis suis suffragantes, qui totos menses Martium, Aprilem et Maium, id est tredecim integros tomos proscripserunt, damnarunt, interdixerunt, quasi sententias erroneas, haereticas, scandalosas et quid non simile continerent, id est, propterea quod fabulas de antiquitate Carmelitana non approbarent, et ferenda forte tam iniqua sententia esset, nisi eorum librorum distributio, lectio et fructus per totum Hispaniarum regnum tam iniusto decreto impediretur. Cui malo quid opponi

¹⁾ Ed. Thuillier I. 304; ein kurzes Excerpt, ins Französische übersetzt, theilt Broglie I, 146 aus Bibl. Nat. fonds fr. 19649 f. 288 mit. Da sich hier die Worte *Haec fortasse bis exposuisse satis fuerit* ebenso wenig als bei Thuillier finden, so ersieht man daraus, dass auch Broglie nur das Concept dieses Schreiben vor sich hatte, welches Mabillon durch einige Zusätze erweitert hat.

²⁾ Ueber den Streit der Jesuiten und Carmeliter vgl. Reusch a. O. II. 269—276.

³⁾ *provocarunt* Thuillier.

possit non video, nisi forte Sanctissimi Domini nostri auctoritas, qui opus immensum, utilissimum et toti catholicae Ecclesiae necessarium adversus tam iniquam censuram tueatur, eique suam existimationem suumque pretium restitui curet, revocando Hispanicae Inquisitionis tam praecipiti et iniusto decreto. Haec ¹⁾ fortasse durius persequor, sed scio cui scribam, id est prudentissimo et iustissimo viro, cui rem exposuisse satis fuerit. Sane hoc officium ab Eminentia Tua exigere videntur veritas laesa et Ecclesiae catholicae imminuta hac in re utilitas. Erat et aliud Eminentiae Tuae a me suggerendum de immodico cultu Sanctorum qui ex ²⁾ coemeteriis Romanis in has partes afferuntur; ³⁾ qua de re ego scripsi dissertatoriam Epistolam Eminentiae Tuae nuncupatam, sed quam nolim cuiquam patefacere nisi soli Eminentissimo Domino, ad quem hanc epistolam submittere nolim, nisi per Te id mihi licere intellexero. Nihil hac de re dictum velim etiam Patri Stephanotio, et si mihi alia suppeteret via, per alium (quamquam inprimis amicus est meus) Eminentiae Tuae id consignari optarem. Vale.⁴⁾

13.

Paris. 1696. 8. III.

Profecturo in Urbem clarissimi nominis Abbati Bossueto Illustrissimi Episcopi Meldensis nepoti una cum doctissimo theologo D. Philipeaux doctori Sorbonico amico meo non potui negare litteras, quibus se Eminentiae Tuae commendari cupiunt.⁵⁾ Levis sane hominis tantilli commendatio, nisi eius defectum dignatio Tua suppleret. Hoc unum in votis habent, ut sacra loca invisant, viros totius Curiae doctos et pios convenient, ut de vestris

¹⁾ Haec — sane fehlt bei Thuillier.

²⁾ è Thuillier.

³⁾ Nach Broglie, Mabillon et la société de S. Germain-des-Prés II, 220 war diese Abhandlung Mabillons schon im Jahre 1692 vollendet und von dem Theologen Du Guet approbirt. „En 1696 il profita d'une lettre qu'il écrivait au cardinal Colloredo afin de plaider la cause des Bollandistes, alors poursuivis par l'inquisition d'Espagne (d. i. das vorliegende Schreiben), pour demander au prélat la permission de lui soumettre son travail. L'offre ayant été acceptée, l'ouvrage fut envoyé au savant cardinal, qui ne l'approuva qu' à demi et en déconseilla la publication.“

⁴⁾ Ein Fragment aus Colloredos Antwort auf dieses Schreiben steht bei Thuillier I, 305.

⁵⁾ Ein gleichzeitiges Empfehlungsschreiben für Abbé Bossuet, den Neffen des Erzbischofs, und M. Phélippeaux, docteur de Sorbonne et trésorier de Meaux richtete Mabillon an Magliabechi, s. Corr. inéd. II, 395. Die beiden Theologen waren später mit der Vertretung Bossuets in seinen Verhandlungen gegen Fénelon betraut.

moribus redeant meliores. Qua in re sane multum iuvabit Eminentia Tua, si illos Tua consuetudine et familiaritate dignaris. Nunc fruimur Jubilaeo, quod Sanctissimus Dominus noster nobis liberaliter concessit. Eximie ac pie scripta est bulla indicti Jubilaei,¹⁾ in qua tamen, uti et in penultima, miramur omissam clausulam solitam »contritis et confessis,« retento solum verbo »confessis.« Vide quam libere tecum, Eminentissime Domine loquor meamque, si qua est, hac in re temeritatem excusare velis. Optamus ego et socius meus Ruinartus in primis aliique e nostris, ut valeas in multos annos.

14.²⁾

Paris. 1696. 11. VI.

Multas habeo gratias Eminentiae Tuae, tum quod me³⁾ commendaveris Illustrissimo Nuntio, tum quod gratam habueris epistolam, quam ego nomini Tuo inscribere ausus sum de Sanctorum baptizatorum cultu, tum denique pro votis a Te factis pro felici successu capituli nostri generalis, cuius nomine maximas Tibi debeo gratiarum actiones. Ad primum quod attinet, magna Patribus nostris, mihi etiam tantillo benevolentiae indicia demonstravit Tui causa Illustr. Nuntius, quocum⁴⁾ ante quinque dies ad S. Dionysium profectus sum simulque cum Illmo Internuntio, qui Bruxellis in Urbem redit. In illo itinere multa facta est commemoratio Eminentiae Tuae ab Illmo Nuntio, qui Te singulari veneratione, ne quid de me dicam, prosequitur. In epistola illa de Sanctis incognitis vellem loco horum verborum: dissimulante Pontifice, quae sub initium leguntur, posuisse: nesciente haud dubie Pontifice, quae rei veritas est. Animus erat hac in urbe recudere decretum Congregationis rituum de hoc argumento, abste mihi submissum, quod tamen Te inconsulto facere nolim. Mihi sane apprime videtur favere⁵⁾ instituto meo, et quasi dedita opera pro me factum. De⁶⁾ capitulo nostro generali nihil certi rescimus ante octo dies. Mittetur brevi socius destinatus Patri Stephanotio multum mihi, ni me fallit coniectura, amicus. Ad rem litterariam quod attinet, quatuor Doctoribus Sorbonicis commissum

1) Bullar. Rom. (Romae 1734) vol. IX. pag. 419. (1695 Decemb. 3.)

2) Ed. Thuillier I, 305.

3) nos Thuillier.

4) Quocum — prosequitur fehlt bei Thuillier. (Durch Punkte angedeutet.)

5) facere Thuillier.

6) De — Ad rem fehlt bei Thuillier (durch Punkte angedeutet).

est examen tomi primi Hispanicae Abbatissae de Agreda,¹⁾ cuius tomos omnes decreto Inquisitionis Romanae anni 1685²⁾ prohibitos legimus. Examinatur etiam libellus gallice editus: Exposition de la foy touchant la Grace etc. cuius censuram ab Illmo Parisiensi Archiepiscopo apparari aiunt; Titulus³⁾ ipse libri a censura immunis vix esse poterit. O quando tandem homines de gratia rixari desinent! quam conducibilius esset animos aptari gratiae recipiendae. Verum hominum impetiginem reprimere quis possit? Nunquam haec absque turbis in hoc saeculo tractabantur.⁴⁾ Plurimam Eminentiae Tuae salutem mecum impertit noster Theodericus Ruinartus, quem commemorasse in postremis litteris Tuis dignatus es. Nulla dies abit, qua Tui apud Deum memoriam non faciam. Id recepero cum usura, si mei quoque memor esse dignaberis. Vale et diu vive. Consanguineum Tuum totis ulnis venientem amplectemur. Iterum vale.

15.

Paris. 1696. 3. XII.

Reversus a tribus septimanis ex itinere nostro Lotharingico et Alsatico,⁵⁾ nefas mihi esse puto silere diutius, ne debiti in Eminentiam Tuam officii et obsequii non satis memor esse viderer. Accedit ratio imminentium Christi Domini natalium, quae novam observantiae in Te meae professionem exigunt. In illo sane itinere, tametsi ex imperialium excursibus non mediocriter perturbato, frequens Eminentiae Tuae recordatio animo meo obversata est, revocata humanissimis litteris Tuis, quas Argentorati accepi: verum in hac rerum ac temporum trepidatione, nedum litterariis nostris occupationibus, non fuit integrum ad Te scribere, maxime cum nihil tunc occurreret scribendum, quod facile differri non posset. Et ex his tandem tricis reversi sumus, Deo dante, incolumes ego et noster Ruinartus, satis onusti et contenti his spoliis, antiquis dico monumentis, quae ex illa tumultuaria expeditione retulimus. Faxit Deus, ut mihi per huius vitae usuram eis uti liceat ad proseguendam et finiendam nostram historiam. Iam materia satis suppetit, nunc forma opus est, si minus eleganti.

¹⁾ *d'Agreda* Thuillier. Die Mystica Ciudad de Dios erschien 1670; über die Verhandlungen vgl. Reusch II. 252.

²⁾ 1681 und *prohibitos* Thuillier.

³⁾ *Titulus* — *poterit* fehlt bei Thuillier.

⁴⁾ Das folgende fehlt bei Thuillier; es stehen bloß die Worte: Vale et diu vive. 11. Junii 1696.

⁵⁾ Mabillon unternahm diese Reise nach dem Elsass und nach Lothringen in Begleitung D. Thierry Ruinart's am 20. August 1696 und beendigte dieselbe am 10. November desselben Jahres. Ein interessanter Bericht über die Ergebnisse dieser Expedition liegt vor in Ruinart's Tagebuch: *Iter litterarium in Alsatiam et Lotharingiam* in den *Oeuvres posthumes* ed. Thuillier III, 411—499.

saltem non horrida et ingrata. Post paucos a nostro reditu dies adii Illustrissimum Apostolicum in his partibus Nuntium,¹⁾ qui studiose de Te deque Tua incolumitate sciscitatus est iussitque me, quam primum Eminentiae Tuae scriberem, eidem contestari, quantum Te colat et suspiciat. Ego quidem hac in re tanto viro nec velim cedere nec inferior cuiquam esse patior in Te observando, paene dixerim in Te amando, quod forte impudens videri possit, sed non amanti. Fausta in omnibus Christi natalia Eminentiae Tuae mecum apprecatur noster Ruinartus, nosque ambo Te optamus incolumem vivere in multos annos. Vale.

16. ²⁾

Paris. 1696. 8. XII.

Etsi ante hos octo dies scripsi Eminentiae Tuae, nunc iterum interpellationes meas iterare cogor, Tuis forte auribus et ³⁾ oculis importunas, sed mihi ac Congregationi nostrae quodammodo necessarias. Agitur de translatione quorundam monachorum nostrorum ad coenobium B. Mariae de Trapa, quae, ut ne inconsultis superioribus nostris fieret, Apostolicis suis litteris felicitis recordationis Pontifices Clemens X. et Innocentius XI. interdixerunt, edicto regio postea confirmatis.⁴⁾ Id sufficere videbatur ad praecludendam promiscuis eiusmodi translationibus viam: Sed quia facilem in ⁵⁾ Trapam aditum inveniunt monachi nostri, ut et alii omnes Congregationum quantumvis reformatarum, non pauci illuc in dies se conferunt specie maioris perfectionis ibidem assequendae. Neque vero diffitemur, Eminentissime Domine, vigere in illo monasterio insignem vitae regularis disciplinam, quae merito ab omnibus approbatur atque in exemplum universo ordini monastico proponi potest. Verum ad arduam illam et severam disciplinam non omnes vocantur; nec ignoramus non raro fieri, ut in communiore vitae genere aequalis aliquando perfectio interior acquiratur. Sed ut id omittam in praesens, non satis aequum videretur, ut stante alicuius Congregationis observantia quibusvis monachis Trapam adeundi facultas concederetur. Primo siquidem a legitimorum superiorum subiectione voto firmata se subtrahere non possunt subditi eorum citra ipsorum superiorum consensum. Id enim derogat naturali aequitati, ut ius suum in rem aliquam quisquam amittat.

¹⁾ Marco Delfini, Bischof von Brescia 1698—1704, Cardinal seit 1699. Seine Charakteristik bei Saint-Simon, mémoires vol. II, 360, 366.

²⁾ Edirt von Thuillier, Oeuvr. post. I, 505.

³⁾ *atque* Thuillier.

⁴⁾ Constit. Clem. X. 1672 Sept. 19; Constit. Innocent. XI. 1683 Aug. 17; cf. Bullar. Rom. IX, 450.

⁵⁾ *ad* Thuillier.

Fateor quidem hac in re a Sede Apostolica dispensari posse; sed cum in illa Sanctissima Sede omnia cum summa aequitate fiant, nunquam ius suum cuiquam non merito adimere volet. Deinde arbitrariae eiusmodi translationes contrariae sunt regulae S. Benedicti vetantis ullum monachum ex noto monasterio atque adeo ex nota Congregatione in aliud monasterium admitti absque commendatitiis abbatis sui litteris. Tertio id aperit viam inconstantiae iuniorum praesertim monachorum, qui novitio fervore saepius abrepti ad ardua quaeque feruntur non satis consultis viribus suis: qui nisi contineantur a prudentioribus superioribus, facile in varios casus et morbos insanabiles incanti prolabuntur. Praeterea fit non raro, ut qui sic indiscrete institutum viribus suis impar tentaverint, imbecilles, male sani corpore et capite passim affecti, in propria monasteria, unde exierant, reverti cogantur, in magnum superiorum gravamen, quibus plerumque non modo inutiles sunt sed etiam difficiles et importuni: qua de re conqueri solent Cistercienses reformati, quibus hoc saepius prae aliis contingit. Scio equidem Spiritui divino non posse praescribere humanas leges: sed eius iudicium deberet esse penes superiores legitimos; aut si suspecti videantur, penes prudentes arbitros partium expertes, qui in rebus spiritualibus et maxime monasticis peritissimi et exercitatissimi sint. Insuper haec alienorum monachorum admissio infinitarum rixarum et dissensionum inter monachos Trapenses et alios seminarium est non sine scandalo fidelium: cum e contrario si hae translationes fierent ex mutuo consensu superiorum, pax et charitas inter utrosque coalesceret in totius Ecclesiae aedificationem. Denique eiusmodi translationes maximum important aliis reformatis monasteriis damnum ac dispendium, tum quia in has feruntur non raro ex eis meliores, qui conservandae in propriis monasteriis disciplinae erant necessarii, quibus deficientibus deficiat necesse est ibidem observantia regularis in magnam religionis perniciem, quam Apostolica Sedes longe abhorret, tum quia qui in dictis monasteriis remanent eiusmodi cursitationibus perturbantur et commoventur inciduntque aliquando in tentationem suae vocationi periculosam, dum vident sua monasteria desereri a bonis, quasi salutem in eis operari non possent. Hoc probatum apud non paucos, sed in primis apud Patres Cartusienses, quorum plurimi quibusdam scriptis fortioribus agitati institutum suum deserere volebant et forte deseruissent, nisi Prior eorum Generalis huic malo editis epistolis ac libris occurrisset. Quod si minime probi sunt, qui converti ad meliora volent, atque utinam sincere velint, edant primum in sua Congregatione specimen vitae observationis et austeritatis¹⁾ et tunc demum nobis persuadebunt, ipsos spiritu Dei motos ad accipiendam vitam perfectiorem, alioquin

¹⁾ *observantioris et austerioris* Thuillier.

merito vereri debemus, ne hoc colore utantur ad tegendam inertiam suam; et si haec translatio non successerit ad disponendum prolapsum¹⁾ ad laxiora. quod experimento factum videmus. Ob has aliasque rationes, quas prudentia Tua Tibi facile suggeret, Eminentiae Tuae non videtur haud dubie expedire, ut generalis quibusvis monachis Trapam adeundi facultas concedatur, immo nec cuivis particulari, nisi aliunde certae exploratae sint causae, quae id faciendum suadeant. Parcat mihi Eminentia Tua, si tam libere et tam prolixè cum ea loquar. Sane rei gravitas et necessitas id excusat et postulat cum oculis meis probem, quanta ex his promiscuis translationibus damna oriantur invehanturque in Congregationem nostram, cuius profectum et conservationem Tibi plurimum cordi esse perspectum habeo. Vale et me meosque inprimis superiores primarios nostros, ne quid de Ruinarum nunc dicam, bevenolentia Tua prosequi perge. Iterum vale.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Einige literar-historische Nachrichten aus dem St. Niklaskloster in Prag.

(Mitgetheilt von Ferd. Tadra.)

Das Kloster der slavischen Benedictiner zum hl. Nicolaus auf der Altstadt Prag gelangte unter dem kunstsinnigen Abte Maurus Roučka (1682–1714) zu bedeutendem Ansehen. Nicht nur dass die bisher unerfreulichen materiellen Verhältnisse des Klosters geordnet wurden, Hand in Hand damit ging auch die innere Consolidirung desselben, die Erweiterung und Restaurirung der Klostergebäude und der Kirche, sowie die Ordnung des Archivs, welches damals auch sämtliche auf die Gründung und Geschichte des Emausklosters bezüglichen Documente enthielt, von denen leider jetzt manches vermisst wird. Aus den nun in der k. k. Universitäts-Bibliothek zu Prag verwahrten Resten des ehemaligen Klosterarchivs von St. Nicolaus wollen wir hier einige literar-historische Nachrichten mittheilen, welche für die Geschichtschreibung innerhalb der Benedictinerklöster Böhmens nicht ohne Bedeutung sind.

Es sind dies:

I. Ein Schreiben des bekannten Prager Historiographen P. Johann Florian Hammerschmidt, damals Rector des erzbischöflichen Collegii, an den Prior des St. Niklasklosters

¹⁾ *prolapsum in deteriora*. Thuillier.